

De re anatomica / oratio. Quam die prima Decembriis MDCCLXXX habuit scholam auspicaturus Michael Girardi.

Contributors

Girardi, Michele, 1731-1797.

Publication/Creation

Parmae : Ex regio typographeo, 1781.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x8dmysac>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MISC.

C.X.







Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b28757282>

33654

DE RE ANATOMICA
ORATIO

QUAM DIE PRIMA DECEMBRIS MDCCLXXX.

HABUIT

SCHOLAM AUSPICATURUS
MICHAEL GIRARDI

INTER FAMILIARES PRINCIPIS

ARCHIATROS CONSCRIPTUS,

ANATOMES ET HIST. NAT. PROF. PRIMARIUS,

EJUSDEMQUE MUSAEI PRAESES,

CAESAR. ACAD. NATUR. CUR. INSTIT. SCIENTIAR. BONON.

SOCIUS

ET IN COLLEGIO VENETIARUM MEDICO

IN MORGAGNI LOCUM SUFFECTUS



P A R M A E



EX REGIO TYPOGRAPHEO

M. DCC. LXXXI

CUM APPROBATIONE.



EXIMIO VIRO COM.
JOSEPHO CAMUTI
AUGUSTORUM PARMENSIIUM
PRINCIPUM AC R. PROLIS
ARCHIATRO AC CONSILIARIO
BELVEDERII DOMINO
REI LITT. SEPTEMVIRO, TOTIUS MEDIC. PRAESIDI
CHEMIAE PROFESSORI PRIMARIO
AC R. MONSPELLIENSIS ACAD. SOCIO
ETC. ETC.

Haud ita facile amicorum petitionibus eram satisfacturus, qui ad hanc lucubrationem publici juris faciendam me quodammodo compellebant, nisi iudicii tui, Praeclarissime Vir, pon-

duſ graviffimum accediffet. Tu poſtquam illam, me dicente, audiffes, ſumma qua polles humanitate, et privatim et publice haud eam Tibi diſplicuiſſe teſtatus es. Quum autem ea te eſſe natura praeditum probe teneam, ut quid ſentias libere dicas, hinc factum eſt, ut meae licet mediocritatis, ſeu potius tenuitatis apprime conſcius in tua auctoritate acquieverim. Hac itaque fretus anatomicum hocce commentariolum, et quaedam alia ex adverſariis meis depromta in lucem edere ſtatui, ita tamen ut haec omnia tuo nomine, tuoque praefidio, utpote doctiffimi, honeſtiſſimi, ac de medica facultate optime meriti appareat commendata. Atque utinam a graviffimis curis,

quibus assidue distineris tum ad alias
quidem provinciae Medicae partes
administrandas, tum vero maxime
ad tuendam Celsissimorum Principum
valetudinem, tantum temporis Tibi
reliquum esset, ut quae praelongis
itineribus, assidua diligentique pra-
xi, ac philosophicis meditationibus
tibi metipsi comparasti in publicum
proferre posses! Quantum utilitatis
in eos potissimum, qui Medicinae
dant operam, redundaret! Ast ea
quidem hominum virtute praestantium
conditio est, ut plurimis laboribus
fatigati, ac fere oppressi miserrimam
vitam ducant, nec ea tamen omnia,
quae velint, praestare possint. Porro
a Te etiam atque etiam peto, Vir
praestantissime, ut valetudini tuae

*consulas , quo et Principum Augu-
storum exoptatae incolumitati , et Me-
dicæ disciplinae , et toti demum Lit-
terarum provinciae , quibus rebus me-
ritissime praees , diutius atque ube-
rius prodesse possis .*



Non pauci ex iis etiam, qui primis in subseliis sedent, quique sibi videntur apprime sapere, in ea sententia sunt, Anatomes studium laboriosum admodum esse, idemque injucundum, atque adeo parum frugiferum, ut sola res medica quidquam emolumenti possit ab illo expectare. Profecto operam, & oleum perderem, si hujusmodi studium minime salebrosum, neque fastidii plenum esse contenderem. Habet enim Anatome tribulos sentesque suos, luctandumque est magno animo, constantique labore ad ea quae occurrunt, dumeta spinetaque superanda. Vincendus a natura insitus horror, qui in cadaverum sectione fieri non potest quin exoriatur. Ast ubi haec omnia invicto animo fueris praetergressus, quaenam & quanta in perlustranda hominis fabrica occurrunt, quorum structura, connexio, affinitates, usus in sui

contemplationem hominis mentem mirā quadam ratione alliciant, ac pertrahant? Et quoniam sapientissimum Opificem nihil in terris anima sublimius perfectiusque creasse communis sententia est, ita perspicue deprehenditur tale illi domicilium construere voluisse, ut nihil pulchrius, mirabiliusque reperiretur, quodque aptius animae nobilitati quodammodo responderet. Hoc opus porro, quod Zoroastres summum naturae decus, & Tullius numeris omnibus absolutum, ac divinum vocavit, quis aut tanta ignavia constructum, aut ea partium simplicitate conflatum existimabit, ut nulla disciplina praeter rem medicam in hujusce corporis reseranda, atque indaganda structura quidquam utilitatis, ac commodi sibi valeat polliceri? Imo vero vix ulla sive artium, sive scientiarum est, quae ex accurato tam mirabilis organi examine non magnum capiat emolumentum. Verum ne nimis longe vage- tur Oratio mea, ac praestitutos ipsi fines praetergrediatur, id ego minime du-

biis argumentis conficiam : Anatomicam Theologiae utilem esse, multo adhuc utiliorem Philosophiae, Medicinae vero non utilissimam modo, verum etiam penitus necessariam. Mihi igitur Anatomicam theologicam, Anatomicam philosophicam, Anatomicam medicam breviter explicanti non aures solum, sed etiam animum, ut soletis, humaniter adhibete.

Coecorum fere omnium oculi, qui vel funditus evulsi non sunt, vel suis in orbitis non omnino contabuerunt, si soli aliquando obvertantur, tanti sideris jubar sentiunt, cumque nihil se cernere dicant, illud tamen se aliquo pacto percipere profitentur. Istiusmodi coecis merito possunt ethnici homines comparari, qui divinae revelationis subsidio destituti, vix jubar quoddam supremi illius Solis, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per eas res quae oculis obversantur, deprehenderunt. Nil tamen aequè valuit atque Anatomica scientia, ut ii sibi & Deum esse, & infinita sapientia praeditum esse persua-

derent. Galenus certe (a) hominis manu resecta, diligenterque explorata humanum corpus sapientissimi Numinis opificium esse mirabundus clamavit, ac contra insanam tunc temporis exultantem Epicureorum doctrinam, qui huic rerum universitati tanquam auctorem, atque moderatorem casum praefecerant, constantissime decertavit.

Et sane quis unquam humani corporis tam affabre, tam eleganter, tam apposite elaboratas, atque consertas, tum singulas, tum universas partes ullo absque consilio, fortuitoque fuisse potest comminisci? cum nec tot, praeteritarum aetatum, nec hujusce aevi anatomicus labor, si quis unquam, improbus, solertia, atque sedulitas, non modo tantum opus exhaurire valuerint, verum nec crassiorum partium, ne dicam, absolutam historiam suppeditare. Quaelibet vel minima, ac simplicissima partium tantum habet in se artificii, ut qualemcumque nisi summum, nisi sapientissimum dedignetur Auctorem.

Vos humanarum divinarumque rerum quam qui maxime scientissimi, ac peritissimi Auditores tanti operis particulam aliquam non ex sublimioribus ac penitioribus, quarum vel arduitate terretur accessus, vel celsitudine non indiget argumentum meum, paulisper rimari, atque admirari ne dedignemini. Nec vestrum aliquem nostra absterrebit Anatome, quam nec scalpellum instituet, nec ullus foedabit cruor, sed quae vosmet ipsi singuli calletis, & coram in ore geritis, persequemur.

Quis ex vobis tam sedulo dentes unquam consideraverit, ut supremi Conditoris consilium in hac humili, ac pene adscititia humani corporis particula satis pro merito deprehenderit, atque suspenderit? Mitto hic loci quantum oris decori, quantum articulatim edendis vocibus horum positus, figura & magnitudo consulat; quo mirabili artificio ac sapientissimo tum praecoces, tum serotini, suis cavernulis undique vallati, ac deciduis (*b*) respondentes in puerorum

maxillis fuerint constituti, atque dispositi, haec omnia hic, inquam, mitto: id tantummodo inpraesentiarum disquiro, quam utiliter, quam provide pro ciborum esu fuerint comparati. In infantum praeseptolis latent horum pene dixerim semina, nec quousque solidioribus confiendis alimentis paria sint viscera, erumpunt (*c*), ne ciborum fluiditati inutiles nutricum papillis molesti importune evadant. Nec lata, ac scindente acie erumpentes viam sibi parant, sed serratis cuspidibus leniter pervadunt, & molliusculam carnem levi hiato potius eruptioni praeparant, quam reserant, atque conscindunt. Viscerum firmitatem dentium robur consequitur, & septennio circiter primis emeritis, majori muneri addicti, majore validitate donati, plures numero, pleniores mole, radicibus firmiores in longaevam aetatem duraturi alteri prodeunt. Duplex horum substantia, major atque interior ossibus longe durior, candidior atque exterior, qua basis maxime loricatur, tanto interiore firmior,

quanto illa ossibus durior, quo loculentissime emicat Conditoris sapientia, tum ne per attritum partes illae minus durae facilius consumantur, tum ne per nimiam soliditatem, si utraque pars aequae solida foret, duriorum corporum fragilitati obnoxiae evaderent. Quis in figura, quis in positu, quis in magnitudine, quis in eorundem dispositione Excelsi consilium potest non admirari? Primores lati atque scindentes, latera tenent acuti, posteriora occupant vasti, seu maxillares. Primores alimenta dividunt, canini frangunt & laniant, maxillares atterunt atque comminuunt. Pro singulorum munere, atque robore, & moles, & radix, & profunditas contigit. Unica radix priores, gemina sequentes, & quadruplex postremos firmat. Hisce quantum per attritum decedit, tantundem fere per intima, atque per tenuia admodum ad id muneris comparata vasa deferitur, ut ne nimis cito non reparati deficiant, aut per uberius alimentum in nimiam, & foedam molem succrescant.

Mutet, si cui arridet, aut numerum, aut ordinem, aut figuram, & nova horum dispositione suae faciat periculum sapientiae. Maxillares igitur primorum situm, primores maxillarium occupent: quid inde eventurum foret, benigne, ut facitis, & diligenter attendite. Cum ossium maxillae, atque malarum positus forcipis figuram & actionem habeant, iisdem pene legibus ac forcipem agere procul dubio necesse est; cumque ex mechanicis earundem major vis juxta hypomoclium consistat, evidenter sequitur tantundem dentibus potentiae decrescere, quantum illis proximitatis detrahitur. Cum vero minima sit maxillarium dentium vis & aptitudo ratione baseos, seu figurae ad scindendum atque pervadendum, cujus rei maxima facilitas est, atque potentia in primoribus, mutato inversoque ordine, cui minimum par est, maximum tribueretur momentum, maximae necessitati minima impertita potentia, unde consequi nemo non intelligit impares ad scindendum maxillares

prehensuros quidem , non divisuros alimenta, illisque prae labiis haerentibus id frustra moliri, quod nec figurae ineptitudo, nec virium defectus novo muneri opitulatur. Quid in maxillarium recessibus a primoribus agendum superest, cum ad illos nec scindenda alimenta accedere possint, nec terenda comminuere valeant? Horum siquidem scindentium aciem libera & errantia ciborum frusta effugient, & irriti valentesque ictus dumtaxat aciem obtundent, & frequentibus ac valentissimis occursibus acutae partes attritae cum prioribus breviores citius evaserint, tamdiu inutiles otiabuntur, quamdiu per alimentum refecti, tantummodo ut sese invicem atterant, longiores efficiantur. At quot & quanta ab hoc uno mutato positu forent homini fluxura incommoda, recensere non est necesse. Id quisque praeclare intelligit summo illud consilio, atque divinitus opus esse comparatum, cui nulla mens aut addere possit quod perficiat, aut demere quod non invertat.

Si evidentissime supremum hominis colendum Artificem nostra Anatome nulla acie, nullo scalpello instructa, digito pene dixerim monstrante significat, quid si abditissima corporis penetralia sive speciei perennitati conservandae, sive obsectorum imaginibus inferendis, sive internorum conceptuum prodendis signis, sive exequendis quae cogitamus, quae cupimus, quae molimur, comparata, maiore qua possem solertia, atque sedulitate exponerem? At his ego nunc non utor, licet non tam ad summum Auctorem demonstrandum, quam ad operis summam dignitatem, ad Conditoris ineffabilem sapientiam illustrius patefaciendam inservirent. Atque haec non adeo ad theologicam Anatomen spectant, quin magis a philosophica diligenter esse rimanda censeam.

Neminem sanae mentis inveniri reor, qui tam ipse sibi abjectus sit, atque contemnendus, ut cum jure optimo omni cura, omni studio ac diligentia ad singula omnia inquirenda, atque intelligen-

da sive intra telluris viscera, sive in profundo maris demersa, sive circum nos degentia, sive supra nos, & a nobis per immensum dissita navandam operam putet, suimet unius dumtaxat cognitionem aut ommittendam, aut floccipendendam existimet. Eo magis philosophicae facultati id necessarium puto, quo nullum praeclarius, nullum illustrius, nullum excellentius opus in orbe universo & homine, & hominis corpore invenitur, cujus tamen sive perfectionem, sive dignitatem, sive, ut ita dicam, mysteria, proh! quam fallitur, qui censeret aut ex alicujus oratione, aut ex commentario se posse consequi: Haec longe difficiliora sunt, quam ut quisquam aut verbis pro dignitate exponere, aut licet ornate exposita ea possit, ut opus est, luculenter complecti. Atque ut praeterea mus ea, quae interdum summam exposcunt Anatomicorum diligentiam atque sedulitatem, ut nonnullarum partium peculiare conformationes, quae in quibusdam praeter consuetum naturae ordinem

contingunt (*d*), quis licet peritissimus, atque disertissimus Anatomicus miram penitus, ac divinitus conditam ingentem prae reliquis animantibus humani cerebri molem ita dilucide valeat exponere, ut nulla sit auditori archetypi intuendi necessitas (*e*)? Quis corporis callosi structuram? quis thalamos? quis corpora striata? quis tandem glandulae pinealis naturam & nexum? quis denique genuinam nervorum originem se verbis tantummodo monstrare posse confidat? Ex cordatis viris ignorat nemo quantum sedulitatis ex hisce partibus nonnullae sibi vindicaverint, cum discriminatim pro varia quisque sententia in aliqua illarum philosophi, & quidem praestantes praecipuam animae cogitantis sedem statuerint. Hinc quis non videt, quanti philosopho referat peculiarem partium sedem, nexum, atque structuram cognoscere (*f*)?

At non una haec in cerebro explicando difficultas: quid non in auricula, & musculis? quid non in tympano (*g*),

& ossiculis? quid non in implicatissimo totius auris labyrintho? Apud emunctae naris homines jam fuerat definitum sonum per aërem intima auris penetralia subire, atque per ipsum aërem propagari. Quae Physicae praeceptis in hac sententia contraria sunt utpote a pluribus recensita, praeclarissimum Anatomicum Cotunnium (*h*) haud fugerunt, qui summa qua pollet in dissecando dexteritate, in perscrutanda auris anatome opus ulterius ursit, atque adeo felix evasit in tanta rerum difficultate, ut licet in omnibus fortasse rem acu minime tetigerit, saltem observationibus suis viam aperuerit, qua facilius naturae phenomena in propagandis distinguendisque sonis explicarentur. At in hisce inveniendis, distinguendis, explicandis quot difficultates, offendicula, varietates observatoris oculos mentemque perturbant? Non faciliora, non pauciora in oculo occurrunt, quae quidem & jucundissima scitu, & perquam necessaria ut a Philosopho rite exponantur. Muskembroëchius, cujus dum-

taxat nomen in philosophicis rebus summum elogium est, quae pluries de oculo tradiderat, ut veritati minus consona, postremis tantummodo suae vitae temporibus prudens castigavit, postquam immortalis Albinus egregiam oculi structuram ipsi tradiderit. Adeo accuratum Anatomes studium necessarium est, ut vel ipsi Philosophiae Coryphaei absque ejusdem auxilio saepe claudicent, & labantur. Vocis organa quis non novit? partium numerus, nexus, positus, parvitas, atque diversitas adeo Anatomicos solertissimos & elapsi, & praesentis aevi exercere, ut rei hujusce simul difficultatem, & nobilitatem ostendant. Certe ignorat nemo quam physiologorum ingenia vexarunt duae illae praesertim celebriores sententiae, quarum altera vocis organum ita dispositum esse contendit, ut plurimum iis respondeat instrumentis, quae fidium nomine veniunt, altera vero ita esse comparatum asserit, ut sola glottidis dilatatione, atque coarctatione varii sonorum toni tibi-
arum in-

star emergant. Verum ut suam quisque sententiam exornaret, ut metam attingeret, ut triumphum ageret, quid non molitus est? quam non modo laryngis, sed proximarum partium Anatomen perolvere, eamque magis magisque provehere non elaboravit (*i*)?

His tamen doctrinis, quas vix callet sedulus ac solertissimus Anatomicus, quonam pacto utetur Philosophus, ubi ei ex officii necessitate de homine, ejusque partibus, ac maxime de sensuum discrimine, atque actionibus tractandum occurrat? Idcirco quod saepenumero accidit, mirari desino, tam absona, tam distorta, tam veritati adversantia in pluribus philosophantium scriptis inveniri, quippe cum res nunquam de visu cognitas, confuseque perceptas nonnisi perperam explicari verbis contingat.

At vero si ceteris facultatibus Theologiae praesertim, atque Philosophiae utilis est Anatome, Rei certe medicae non utilis modo, sed necessaria omnino censenda est. Id persuasum apprime fuit

primis illis Medicinae parentibus, qui quantum illorum temporum superstitiosa quaedam religio patiebatur, eam naviter coluerunt, licet ob infrequentem, ac rudem cadaverum humanorum sectionem minus quam ipsi optaverant, in hac arte proficere potuissent. Hinc Magister summus Hippocrates (*k*) ingenue olim, more scilicet magnorum virorum, fateri non dubitavit, se suturis deceptum fuisse. Quod quidem quam facile, quam frequenter, quam periculose contingere potest Medico viscerum, ac partium corporis positum, structuram atque usum ignoranti!

Non is ego sum, qui aut censeam, aut postulem ita a singulis Medicorum Anatomien tractandam, atque colendam esse, ut vas nullum, fibrilla nulla sit praetereunda, quin aut illud specillo tentetur, aut haec acutiore vitro optico subtilius disquiratur. Haec tam solers, atque exquisita tractatio iis unice relinquatur, qui vel ex instituti necessitate demandatam sibi provinciam exornare te-

nentur, vel nomen suum praeclaro aliquo invento posteritati hominum commendare elaborant. Non tamen cum clinicis eo usque indulgenter paciscar, ut si quem forte sibi primo occurrentem de re anatomica librum, ne terminorum forte novitate aliquando percellantur, sublegerint, vel sudariolo naribus appposito theatralem quampiam anatomicam administrationem uno oculo inspexerint, eos vel Anatomicos, vel quantum Clinicae exercendae par esse potest, anatomico pulvere conspersos existimem. Medica nostra Anatome sedula atque frequenti humanarum partium tractatione, vel saltem, quando id omnibus nec facile est, neque accommodatum, earumdem consecrarum, quod non inficias ibo, assidua, intentaque inspectione dumtaxat addiscitur.

At cui bono, inquiunt, tantus labor, tot ac tanta subeunda valetudinis pericula, cum Clinicos celeberrimos, atque felicissimos vel ipsa Empirica secta se habuisse, atque habere jactitet?

Cui bono in medicina facienda Anatomie? Ei plane, cui lumen in tenebris, cui dux in via ancipiti, cui acus magnetica in nauticis: & quamquam sine lumine, & sine duce, & sine magnetica pyxide contigit aliquando, ut quisquam metam attigerit, non idcirco minus illorum improbanda temeritas, qui istiusmodi subsidiis uti detrectant.

Celeberrimos in vulgus maxime, ac si libet, felicissimos Empiricos credimus iis potissimum in morbis brevibus & acutis, in quibus plus fortunam sibi vindicare, quam artem cum Celso (*l*) comperimus. At cave ne ultra quarundam febrium genus, aut similis farinae morbos eorundem opera utaris (*m*). Mitto nunc hisce nostris temporibus, atque hic potissimum egregie, sapienterque cultam illustrem ac primigeniam Medicinae partem, Chirurgiam, cui contentorum Anatomie multum, continentium plurimum opitulatur.

Quid in plurimis, atque complicatissimis cerebri, ejusque partium incommo-

dis? quid in oculorum, atque aurium
 abditissimis vitiis? quid in vocis atque
 deglutitionis laesionibus? quid in mam-
 marum affectionibus (*n*)? quid in pulsus
 & respirationis anomaliis? unde gravium,
 atque frequentium cordis vitiorum tum
 diagnosim, tum discrimina, praeter quam
 ex Anatome, haurire poterunt? Quo pa-
 cto in vasta abdominis amplitudine, &
 singulorum viscerum positus, & certos
 fines, & cujuscumque vel male, vel be-
 ne se habentis habitus, & universorum
 in se mutuam, ac respondentem actio-
 nem nisi ex Anatome percipient?

Quid absque Anatome dicendum, at-
 que adeo agendum foret, ut unum in-
 ter plurima recenseam, si quis recurren-
 tibus maxime post cibum ventriculi do-
 loribus atque anxietatibus, perpetuo vo-
 mendi stimulo cruciaretur? Huic diutius
 vexato, & scirrhum tumorem in ven-
 triculo praesertim circa pylori antrum,
 & mortem praediximus. Coram iis lo-
 quor, qui me haec dicentem audiere,
 consecanti vero, servantique fidem mihi

testes ac socii adfuere; atque auctores fuimus, ne festinatum interitum per propinata remedia (o) vana salutis spe urgerent, sed labantem, ne citius graviusque rueret, protrahere curarent. Quam Medicus tollere aegritudinem non valet, curet, ne exasperet, ne periculum, quod praecavere nititur, advocet & augeat. Vos id mihi singulos, atque universos facile assentiri intelligo, quod etsi ita esse pluribus verbis disserendum esset, tamen in tanta rerum luce brevi conficiendum putavi, ne vobis patientia vestra nimium abuti videar. Ad vos itaque me converto, Ephebi, & Medicinae Candidati, ad vos, inquam, a quibus non solum, sed maxime Anatomen esse colendam contendo. Vestra haec aetas necessariis negotiis vacua, laboribus atque sedulitati perquam idonea, hujusce facultatis studio ultro omnis est impendenda. Nunc pro totius vitae cursu lumen accendite, nunc ad eam degendam res necessarias parate. Vos Italorum Anatomicorum gloriae haeredes, vos estote facto-

rum imitatores, vos quae patriae, quae civibus, quae rei medicae, quae vobis metipsis debetis, sedulo perpendite, ut nec curis, nec laboribus, nec vigiliis parcatis. Tanto id vobis alacrius navandum censeo, quanto cum rem anatomicam propono, praestantissimam facultatem commendo, qua divinorum in humano corpore operum dignitatem, atque excellentiam intuentes, ineffabilem Conditoris sapientiam vel coecis hominum mentibus luculentissime vos esse demonstraturos confido. Hac eadem, quod ad Philosophum attinet, non tam apertissime quae obvia, sed propius veritati, quae abdita sunt, atque difficillima enodantur, ac exponuntur. Hujusce lumine & ductu humani generis conservationi dicatae rei medicae, artium omnium optime meritae fundamenta jaciuntur. Vos denique ad id colendum adhortor, quod ignorare quodcumque puduit aevum, quod summopere callere, hac maxime tempestate, regnum nullum, regio nulla, nulla civitas, nullum pene oppidum non

gloriatur, quod tandem addiscere Viri summi, & Reges non dedignantur.

Sin vos difficultas absterret, aut me praeceuntem sequimini, aut si ita lubet, (iterum repeto, & libenter repeto quod toties alias dixi) mecum ad hanc spartam contendite; vos me manu, voce, calamo vel ducem, vel socium, vel adiutorem habebitis. Nihil antiquius unquam in animo firmiter habui, quam ut vestris commodis inservirem. Id meum ingenium postulat, id concreditum mihi munus exquirat, id vestra, Praeses amplissime, ac rei litterariae Moderatores sapientissimi, auctoritas decernit, qui huc quidem pro eximia vestrorum animorum humanitate vosmet contulistis, ut ego sentiam, aliique intelligant, quantum inter ceteras facultates, quas omnes in oculis habetis, vobis cordi sit anatomica disciplina. Pro tanto igitur, ac tam singulari in nos, nostramque facultatem collato beneficio, non est cur verbis laborem debita humanitati, atque virtuti vestrae gratiarum officia solvere. Neque

enim paucis expedire me possem, pluribus id praestare temporis angustiae ventant: illud accedit, quod istiusmodi officium mereri, quam audire malitis. Quare huic vestrae moderationi auscultabo, & re, re, inquam, anatomica pro mearum virium tenuitate excolenda curabo, ut gratias vobis referam, atque habeam sempiternas.



ADNOTATIONES.

(a) *D*e usu partium lib. I, & *De foetuum format.*
cap. vI.

(b) Haec novorum dentium origo ac dispositio adeo Veteribus ignota erat, ut ex iis nonnulli et quidem principes viri tradiderint ex deciduorum radice novos dentes originem nancisci. Hanc veterum sententiam primum redarguit Fallopius, accuratius deinde novorum originem ac sedem indicavit Eustachius, denique pleno in lumine collocavit Albinus. Novorum itaque dentium origo licet a primordiis minime pateat, tamen in maxillis horum germina inesse plures suadent accuratissimae observationes, e quibus adversus Epigenesistas recte, ac juxta naturae leges inferri posse videtur partes omnes in embrionibus reperiri, quae postea evolvuntur, ac se produnt. Neque id tantummodo comprobatum est, verum potissimum immortalis vir Spallanzanius (*Dissertazioni di Fisica animale e vegetabile* Tom. II pag. 10, 11, 18, & seq.) accuratissimis observationibus, ac summo Philosopho dignis ostendit in quibusdam animalibus etiam ante foecundationem germina, seu foetus ipsos reperiri, qui masculino accedente semine sensim evolvuntur, ac in naturalem inde magnitudinem explicantur; ipsemetque aureis experimentis, ac propemodum novis obtinuit, ut plura inde

animalia artificiose ortum ducerent, licet cum maribus faemellae nullam antea communicationem habuissent. Verum ut in viam redeamus, novi dentes in embrionibus, qui nondum maturitatem attigerint, molles, ac fere gelatinosi primum apparent, atque in nuperrime natis incisores non a prioribus, seu deciduis seclusi, sed saepe in eorundem praesepiolis insimul constituti, qui nisi temporis progressu ab assurgentibus septis segregantur, propriisque inde in cavernulis reconduntur. Crassescunt inde sensim, non nihil lata cavaque basi, apice quodammodo contracto serratoque, atque ubi eam nacti sunt magnitudinem, quae eorundem eruptioni proxima est, tunc priores urgent, impelluntque. Nimirum singulis qui suo sunt tempore casuri, singuli subsunt inferius, superius autem superstant successuri (*Tab. I*) interstitio osseo a prioribus disclusi. Hoc sensim ut plurimum urgent novi, atque pervadunt, sensimque erodunt, ex parte, saltem radicem priorum. Hinc fit ut ii sensim vacillare incipiant, postea magis magisque, quo plus ipsis radicis adimitur, donec avelantur, aut decidant. Quae res imposuit, fecitque, ut Riolanus (*Comm. de Ossibus cap. II*) recte se monere crederet, *dentes pueris vacillantes non filo sursum trahendos, sed in transversum frangendos, ut radix relinquatur*, quasi ex ipsa succrescere novi dentes deberent, cum contra res sit, radicesque ex corpore dentis, non dens ex radice succrescat.

Deciduis evulsis novi erumpunt propriis praesepiolis innixi, cum illa deciduorum penitus oblitterentur. Ut autem haec novorum dentium dispositio clariori in lumine collocetur, pueri maxillarum delineationem exhibemus, in quibus et decidui et no-

vi sua in sede constituti luculenter admodum conspiciuntur. Immortalis vir Albinus cum scriptis, tum figuris spartam hanc Academicis suis adnotationibus (lib. II cap. I) mirifice exornavit, nostrasque observationibus illius quammaxime convenire non semel intuiti sumus, ideoque illos ad tantum auctorem libenter remittimus, qui de dentibus plura dignoscere cupiunt.

(c) A peculiaribus illis observationibus hic declinamus, quae ad infantes pertinent, qui dentati nascuntur. Harum nonnullas recenset immortalis Hallerus (*Elem. Physiol.* lib. XVIII Sect. I §. xv). Nos etiam postremis hisce diebus infantem vidimus, qui cum incisoribus maxillae superioris ab utero matris egressus erat.

(d) Licet hodie prorsus explosa sit eorum sententia, qui Hermaphroditos in rerum natura esse docent, tamen quidam interdum occurrunt, quorum partes generationi inservientes ita conformatae sunt, ut maribus ne, an foeminis accensendi ii sint, maximum dubitationis locum relinquunt. Peculiares hujusmodi conformationes omni aetate variis disputationibus ansam praebuere, nec adeo rarae de sexu definiendo haesitationes, ac controversiae contingunt. Postremis hisce temporibus in praeclarissima Italiae Urbe nobilissima Matrona infantem enixa est, quem cum puerum esse primum omnibus nuntiatum esset, postea ex partium generationi additarum structura nonnulli puellam esse contendebant. Hinc factum est, ut parentes quamplures praestantissimos Viros consulerent, qui cum omnia rite perpendissent, fere omnes in eam sententiam descendere, ut eum masculum judicarent, quod fuit

etiam judicium nostrum per litteras parentibus declaratum. Haec observatio in mentem revocat eam sane peculiarem, quam cl. Morandus (*Mémoires de l'Académie Royale des Sciences* an. 1750 pag. 109) de Michaële-Anna Drovartio adduxit, quamque hic eo libentius profero, quia mihi pluries, ac diligenter illum pseudohermaphroditum observare, imo et ejusdem partes generationi inservientes auditoribus meis Patavii ann. 1769 publice ostendere, ac explicare datum fuit. Id autem eo feci, ut si forte in similia inciderent, hujusmodi exemplo edocti, prudentes in judicium vocati sententiam ferrent. In hisce enim judicandis vel peritissimi interdum decipiuntur. Quae itaque solliciti tunc observavimus et praesertim partium delineationem, quam tunc ex ipsa natura instituere curavimus, cum alias occasio defuerit, nunc Morandi descriptioni ac Tabulis adjicere haud inopportunum ducimus, maxime quia nonnulla nos ejusdem scriptis addere possumus, quae Drovartii aetas ipsi Morando, cum scriberet, suppeditare nequivit. Sic itaque Morandus :

Michel-Anne Droüart, né de pauvres gens sur la Paroisse de Sainte Marguerite à Paris, âgé de seize ans, étoit habillé en fille, et passoit pour telle, lorsque le bruit se répandit qu'elle étoit Hermaphrodite : je l'ai visitée, et voici ce que j'ai observé. Droüart a une verge placée où elle l'est naturellement dans un mâle au bas de la commissure des os pubis, couverte des tégumens ordinaires, avec les deux corps caverneux, un gland toujours découvert, et assez de prépuce pour le recouvrir presque en entier à sa partie supérieure.

Ce gland n'est pas plus large à la couronne qu'à la pointe (1); il n'est point percé, il a seulement à sa pointe, et un peu au dessous, une petite dépression à recevoir une lentille, laquelle, diminuant de largeur, est continue avec une rainure, ou sillon à la peau, propre à recevoir la convexité du canal de l'urètre, s'il y étoit.

Deux plis de peau, qui font les bords de la rainure, forment une espèce de double frein plus court que la verge, qui la tient courbée au dessous, et le gland très-incliné en bas.

La verge et le gland ont ensemble deux pouces de longueur (2) hors le temps de l'érection, et trois pouces et demi en pleine érection, pendant laquelle le ligament suspenseur de Vésale est sensible.

Une portion de peau, plus épaisse et plus ronde que ne le seroient les lèvres d'une vulve, accompagne de chaque côté, et depuis la racine de la verge la gouttière où manque l'urètre; et dans leur jonction, cela représente assez exactement la fente, ou vulve féminine totalement cachée par la verge lorsqu'elle est pendante (3).

(1) Ita aetate annorum sexdecim, postea in obtusum apicem quodammodo se conformavit, ut coronae latitudo glandis apicem longe superaret. Quod de glande, idem & de reliquis dicendum; nam viginti annorum stadio partes eo magnitudinis devenere, ut earundem figura Morandi tabulis minime responderet: quod praesertim in causa fuit, ut iterum partes illas delineatas exhiberem.

(2) Haec longitudo creverat adeo, ut extra erectionem trium digitorum pollicum dimensionem aequaret. Huic autem longitudini erectio proportionate respondebat.

(3) Fortasse dum recta staret a superioribus ad inferiora inspiciendo, mentulae positio impedimento erat, ne fissura ob-

Il n'y a sûrement point de testicules sous cette peau, et cependant, en la prenant dans toute son épaisseur, on touche sensiblement, depuis les anneaux et des deux côtés, une espèce de cordon spermatique (4), dont on peut distinguer les trois vaisseaux, qui semblent se perdre dans la peau. Cette structure posée, il est bien difficile que les testicules soient dans le ventre.

Il y a deux pouces et demi de distance du bout du gland à une ouverture cachée par la fente, qui a été décrite, et qu'on aperçoit en écartant les deux portions de peau, qui descendent des deux côtés de la verge, et qui représentent les lèvres de la partie féminine.

Cette ouverture, aux nymphes près qui manquent, représente à peu près l'entrée du vagin d'une petite fille, qui vient au monde, et porte à sa partie inférieure une caroncule ronde, grosse comme un pois (5), d'un rouge vif, sans aucune membrane, ni partie de membrane circulaire.

Ce petit vagin permet sans peine l'introduction du petit doigt, avec lequel on en touche le fond,

servaretur; at juxta finitorem cruribus inflexis disjectisque, ut in *Tab. II & III*; ita partes hae se habebant, ut admodum distincte infra glandis apicem fissura conspiceretur.

(4) Pluries ut vasa semen deferentia ad inguina circa abdominalem anulum invenirem, inquisivi; verum nihil hujusmodi mihi unquam invenire datum fuit. Fortasse major iis locis pinguedinis accessio prohibuit, ne mihi ea, quae ipsimet Morando contigit, percipere licuerit.

(5) Longe minor haec caruncula erat, cum ejusdem magnitudo lentis granum haud aequaret. Fortasse ejusdem imminutio aetati, aliive causae tribuenda est.

qui fait un cul-de-sac arrondi, comme le seroit le bout d'une portion de gand, qui recouvre un doigt. On ne sent au delà ni ouverture, ni partie saillante en forme d'orifice (6); cependant il faut qu'il soit percé au fond, et qu'il y ait un canal plus long que le vagin même, puisqu'une bougie que l'on y a mis devant moi, y est entrée plus de quatre pouces.

C'est dans ce vagin que s'ouvre le conduit des urines; mais on ne sait point précisément dans quel endroit; car quelque effort que l'on fasse pour découvrir le méat urinaire en ouvrant l'orifice, on ne peut l'appercevoir: peut-être est-il au fond du vagin même; et ce qui pourroit le faire croire, c'est qu'en portant une sonde dans le vagin pour en connoître la profondeur, sans avoir intention de trouver le méat urinaire, et la sonde étant entrée de près de trois pouces, l'urine est venue par la sonde: dans l'idée de la structure ordinaire à la femme, j'aurois suivi une autre direction.

Etant sûr que la sonde étoit dans la vessie, je l'ai retirée pour voir le jet naturel de l'urine, qui étoit presque aussi gros que le comportoit toute la rondeur du vagin même; j'ai reporté la sonde une

(6) Intrusione digiti minimi, quem tunc Morando in vaginam inducere tantummodo datum fuit, forsan corpusculum illud tangere nequivit, quod nos postea digito indice, vel medio apertissime invenimus. Siquidem in vaginae fundo corpusculum percipiebatur, praesertim si tunc conatu aliquo Dro-vartius tussim excitaret, quod sede, figura, ac resistantia uteri cervici propemodum respondebat. Experimentum hoc semel atque iterum, iterumque instituimus, semperque idem a nobis detectum est.

seconde fois jusqu'où elle a pû pénétrer, et tant le vagin que le canal, qui est au delà, m'ont paru déterminés de la longueur de quatre doigts (7): cette seconde exploration a été suivie d'un peu de sang, et l'Hermaphrodite s'est plaint d'une petite douleur, qui n'a pas eu la moindre suite.

Plusieurs Anatomistes ont fait la même tentative que moi, et la même chose est arrivée; d'où il sembleroit permis d'inférer que le canal de l'urètre masculin manquant entièrement à la verge, il commence dans l'intérieur du vagin, sans pouvoir être aperçu, et reprend son calibre ordinaire jusqu'à la vessie.

L'intervalle du bord inférieur de la petite vulve à l'anus, que les Anatomistes appellent le *périnée*, a un pouce et demi d'étendue; ce qui ne ressemble point au périnée féminin. Toutes ces parties ont à leurs bords des poils noirs, tels que son âge de seize ans le comporte; il y en a une petite touffe au dessus, et à la racine de la verge.

A l'égard des fonctions de ces parties, voici ce que j'ai observé. L'Hermaphrodite a souvent à son

(7) Haec quatuor digitorum dimensio, ni plurimum fallor, haud recte pro vaginae, urethraeque tantummodo longitudine recipienda est. Catheterem per vaginam, urethramve in vesicam Morandus induxit, in eamque adeo illum impulit, ut fortasse in oppositum, intimumque vesicae parietem impetum fecerit, unde sanguinis guttulae; hinc longitudinem catheteris intra vesicam quis definire poterit? Non igitur quatuor digitorum dimensio urethrae potissimum longitudini adeo tribuenda est, ut inde recte inferatur incessum ejusdem intra vaginam usque ad vesicam eandem ac in homine directionem, ac longitudinem habuisse.

réveil de l'érection plus ou moins forte, qui se soutient environ une heure de suite; il en a aussi lorsqu'il est en compagnie de jeunes filles, qui lui plaisent; il ne se soucie point de se la provoquer hors de ces deux circonstances, et dit que cela lui est fort difficile, quoique possible. Il dit qu'à la fin de l'érection il sent au dedans un chatouillement très-vif, qui lui fait plaisir, et que dans ce temps-là il lui semble que quelque chose de chaud s'échappe, sans qu'il sache dans quelle partie. On lui a demandé si après cette sensation il n'étoit point mouillé par l'ouverture féminine, il a répondu que non (8);

(8) Quod ipsi Morando asserere nescivit, nobis pluries affirmavit, cum ipsemet per hanc sensationem humorem per riam ex cujus vellicatione voluptatis sensu afficiebatur, aperitissime effundere asseruisset. Quarum rerum ignoratio cum aliis, quae tunc observabantur, fortasse Morandum induxit, ut Drovartii sexum in masculinum potius, quam in foemininum vergere existimaret. A qua Morandi sententia nos declinare cogunt, & corpusculum in vaginae fundo jam descriptum, quod uterum fuisse nullus dubito; & menstruales ejusdem evacuationes, quae licet parce fluerent, tamen ultra tertium diem perstitisse certo observavimus; denique & barbae defectus, si paucos rarosque pilos demamus a Morando descriptos, qui ut in pluribus faemellis occurrunt, ita in ejusdem facie conspiciuntur. Caeterum peculiaris propemodum erat & curiosa adeo sexuum commixtio ut si attente ex una parte Drovartius observaretur, faemellae, ex altera vero masculi figuram exhiberet. Pars enim faciei dextera, quae sinistra nonnihil turgidior erat fere imberbis, levisque ac tenui rubore suffusa conspiciebatur: Laeva vero contractior, aliquantulum rugosa, pilis non adeo raris, firmisque conspersa, atque adeo ab opposita distincta, ut ab hac parte Michaëlem, ab altera vero Annam Drovartium diceremus. Quod de facie idem & de reliquis dicendum: dex-

cependant on pourroit croire, que l'évacuation se fait dans le petit vagin; car sa chemise est très-souvent tachée, ce que quelques-uns ont cru être des fleurs blanches. Il n'est point du tout sensible à l'introduction du doigts dans la partie féminine, même aux mouvemens, que l'on feroit pour l'exciter.

Cette circonstance, jointe aux suivantes, dénote que le sexe masculin domine: il a la marche, le maintien, les gestes, la voix d'un garçon, une inclination décidée pour les filles, la poitrine très-plate, pas la plus légère apparence de tetons de fille, et quelques commencemens de barbe au menton et à la lèvre supérieure: ce qui me fait croire en même temps qu'il n'a pas de matrice, c'est qu'il se porte très-bien, et qu'il ne sent aucun avant-coureur des regles (9), ni aucune des incommodités, qui seroient causées par leur défaut dans une fille décidée, et âgée de seize ans.

Cependant il y a une sorte de mélange bizarre des deux sexes dans tous les points; car le bassin osseux du bas ventre paroît un peu plus évasé qu'il ne doit l'être naturellement dans un garçon; et considérant les deux cuisses ensemble, il semble que l'une tient de celle du garçon, et l'autre de la fille.

tera enim mamma turgidior erat, quam sinistra, ejusdemque papilla crassior magisque exporrecta: sic latus dexterum & opposito plenius, & elatius; quemadmodum & respondens femur aequale, molle, turgidulum, nullis donatum pilis, ubi in sinistro omnia plane diversa apparebant. Quod autem attinet ad figuram, incessum, vocem, & actiones, ejusdemque erga mulieres propensionem, haec omnia ita se habebant, ut ne vel hilum ab iis recederent, quae a Morando scripta sunt, quaeque mirum in modum masculino sexui conveniebant.

(9) Contraria nos prorsus observavimus. (*Not. ant.*)

Je m'en tiens à la simple description des parties : l'on a tant raisonné sur pareils phénomènes sans rien éclaircir, que j'ai cru ne devoir être qu'observateur.

(e) In perscrutanda humani cerebri structura, ejusdemque partibus omnibus evolvendis, discernendis, suisque nominibus designandis, tanta cum laude versatus est Vir celeberrimus Vincentius Malacarne (*Encefalotomia nuova universale*. Torino 1780), ut sedulitate, diligentia, ac nova rerum copia caeteros, qui ipsum praecessere, si non anteire, certe nemini locum cedere videatur.

(f) Perillustris Vir, & de re litteraria optime meritus, qui per decem annos philosophiae exhedram summo cum plausu conscendit, me convenit, desiderium aperit suum, & qua est humanitate rogat, ut ei anatomen cerebri patefaciam. Humanissimo, atque admodum docto Viro parere volupe admodum est. Hinc anatome instituta, dum callosum corpus, thalamos, corpora striata, ac glandulam pinealem, majori qua potui diligentia, atque perspicuitate ostenderem, ingenue fassus est se longe a veritate alienam de iis rebus ideam habuisse, ideoque pluries in tradenda philosophia se fuisse deceptum, quod quidem ipsi minime contigisset, si antequam auditores doceret, anatomes studium praemisisset. Hic illustris Vir vivit adhuc, atque utinam diu.

(g) Tympani historiam inter nuperrimos propriis observationibus exornavit, & auxit cel. Antonius Scarpa in Mutinensi Archigymnasio Anatomes & Chirurgiae Professor in eo Opere, quod inscripsit: *De structura fenestrae rotundae auris, & de tympano secundario*.

(h) Dominici Cotunii de aquaeductibus auris humanae internae Anatomica dissertatio.

(i) Inter Anatomicos Scriptores, qui de larynge optime meriti sunt, Morgagnus certe & Santorinus primum sibi vindicant locum, cum laryngis historiae glandulas, musculos, cartilagine propriis addiderint observationibus. Nobis vero tantorum Viro-
rum vestigiis insistentibus, & pluries ea confirmare quae ipsimet tradidere, & quaedam etiam peculiar-
ia interdum observare datum fuit. Nam praeter
fibrarum fasciculos, quos idoneis in cadaveribus e
musculis stylopharyngeis profectos, & per ligamen-
ta superiora lateralia per glottidem profusos, ut alias
(*Explic. Tabul. Santorin. Tab. VI, Fig. I, lit. EE*)
innuimus, & postea etiam confirmavimus, vidimus
musculos thyro-epiglottideos Santorini in binos fi-
brarum fasciculos sejunctos, quorum alter & exte-
rior pone laryngis ventriculos fusus, circa eosdem
desinebat, alter vero & interior, qui per epiglotti-
dis ligamentum inferius laterale versus epiglottidem
protendebatur: qui fasciculi e parte media, seu po-
tius ut placuit Santorino, e thyro-arytenoïdeo me-
dio proficisci protinus videbantur. Eodem modo mu-
sculos crico-arytaenoïdeos laterales, quemadmodum
praestantissimus Caldanius (*Instit. Physiol. n. 164 not. a*)
habet, observavimus; atque ita dispositos, ut ho-
rum musculorum anterior & minor non tantum a cri-
coïde cartilagine, quantum ab ipsa thyroïde profi-
cisceretur. Praeterea non modo musculos sterno-
thyroïdeos circa eorundem initium decussari com-
perimus, ut Santorinus descripsit (*Observat. Anat.*
cap. v §. v); verum ut ea musculorum conjunctio
valentior foret, consuluit natura, ut imae eorum

partes transversis quibusdam lacertosis fibris copularentur, quae non inepte transversus harum musculus dici possent, qui quamquam tenuis sit, conspicuum tamen id omne habere videtur, quod in musculis requiritur; siquidem utraque extrema tendinea, medium autem carnosum est. Musculus hic, sive fibrarum fasciculus arcte superiori, sterno scilicet thyroïdeo nectitur, ut ad hujus quodammodo contractionem datus esse videatur. Valentissimos denique fibrarum fasces musculi sterno-thyroïdei accedentes pharyngis constrictori infimo usque in lineam illam, quae ad posteriora pharyngis occurrit, sursum protensos saepissime vidimus. Ac cum de pharynge sermo incidit haud alienum puto me hic animadvertere lacertum, quem Santorinus e musculo glosso-pharyngeo in maxillarem glandulam descendentem delineaverat (Tab. vI, Fig. I, lit. h), quemque nobis, cum easdem tabulas evulgavimus, videre datum fuerat nunquam, nos non modo ex uno tantum latere, sed in utroque conspexisse, eosque primum die 19 Januarii 1779 Auditoribus meis publice ostendisse.

(k) *De morbis popularibus* lib. v §. 14. *Autonomus in Omilo ex capitis vulnere mortuus est, die decima sexta, in media aestate, lapide ex manu ictus in suturas in medio occipitis. Quare non animadverti ipsum secari opus habere: deceperunt enim me suturae habentes in se ipsis jaculi laesionem, postea enim conspicuum id fiebat.* Haec Hippocratis suae hallucinationis ingenua confessio, ut caeteros omnes, ita praesertim anatomicos admonet, ut non solum ea in tradenda Anatomie, quae naturaliter se habent, verum etiam quae praeter naturam sunt, auditoribus suis ostendant, ne

forte ab iis quae optime licet aliquando praeter consuetudinem constituta sunt, facile decipiantur. Nam si suturae habentes in se ipsis jaculi laesionem deceperunt Hippocratem, quam facilius in capitis vulneribus plures suturae praeter consuetum naturae ordinem occurrentes diligentem etiam observatorem decipere poterunt? Hac itaque de caussa nos singulis annis, quotiescumque tulit occasio, ut peculiaria quaedam in cadaveribus occurrerent, ea semper singillatim indigitavimus, explicavimusque: Praesertim vero in osteologia explananda peculiare adulti hominis cranium exhibemus, in quo cum plures praeternaturales suturae, et ossa occurrant, quam secundum naturam sint, adolescentes moneantur, ne praecipiti iudicio in capitis vulneribus pro fracturis aliquando habeant, quae interdum suturis peculiari-
bus tantummodo debentur. Ac ne praeternaturalem hanc hujusce cranii observationem silentio praeter-
eamus, ita occipitis os constitutum est, ut potius quam ex uno, ex quatuor constare ossibus appareat, atque ita eleganter dispositis, & per legitimas suturas distinctis, ut nihil hoc opere accuratius ars efficere posse videatur. Neque quisquam censeat hanc ossis occipitis divisionem illi respondere, quae in foetibus occurrit, in quibus ut notum est omnibus, occipitis os ex quatuor componitur distinctis ossibus, nempe ex posteriori, lateralibus duobus, atque priori: nam haec ossa in nostro cranio, ut in reliquis omnibus, ita perfecte insimul coaluere, ut nullum cohaesionis inditium appareat. Quae autem ossa hic distincta sunt, longe aliter quam in foetibus ipsis, se habent. Supra itaque posteriorem ossis occipitis partem, quod aliquantulum quam in aliis

craniis depressius, minusque occurrit, tria alia assurgunt ossa, quorum quod medium tenet, & lateralibus latius est, circa mediam ejusdem partem sese extollens apicem suturae constituit, qua haec tria ossa ab ossibus sincipitis posterius discriminantur; lateralia vero, inter se aequalia, & nonnihil minora una cum jam descripto parietem capitis posteriorem complent. Haec autem ossa, quae certe haud Wormiana appellabimus, quia a Wormianis ossiculis magnitudine longe distant, per legitimas suturas distincta sunt, atque ita affabre comparata, ut vix ullum discrimen seu positionis, seu directionis hinc inde reperiatur: neque suturarum ullus fere dens, ulla linea observatur, quae aut magnitudine, aut figura cum illa haud conveniat, quae ex opposito illi e directo respondet. Ne autem alicui in hoc cranio describendo nimius videar, accuratam ipsius delineationem exhibemus, ut non solum ea cum iis, quae dicta sunt, comparari possit, verum etiam ut praesertim Chirurgiae, ac Medicinae studiosi probe teneant suturarum numerum aliquando praeter naturam multiplicari, ideoque in vulneribus capitis pericula augeri, quibus interdum facile decipi possint. Hac de causa cel. Alexander Monrò senior singulis annis cranium, in quo inter lambdoideam suturam Wormiana quaedam peculiaria ossicula occurrebant non modo auditoribus suis ostendebat, verum etiam figuram ejusdem in Commentariis Societatis Edimburgi (Volum. v, art. xvi) delineari curavit, ne forte in similibus quibusdam circumstantiis simplex capitis vulnus pro maxima cranii fractura haberetur. Monroi consilium secutus est etiam cl. Vir Tabarrani, cum iisdem rationibus peculiare cranium de-

scripserit, ac delineatum exhibuerit (*Lettere*. Siena 1768, Tab. VII). Hisce itaque de causis peculiaris propemodum hujusce nostri cranii, atque a commemoratis admodum diversi descriptionem, ac delineationem efferre operae pretium existimavimus.

(l) Lib. III cap. I.

(m) Dum haec jam typis premebantur in Ephemeridibus, quae Bononiae cuduntur (*Memorie enciclopediche* del 1781, n. 26), ad sydera laudibus efferri vidimus opus nuperrime editum, cujus Auctor inter plura alia Empiricae sectae antiquum decus pro viribus restituere conatur. Cel. Viri, qui de illo iudicium ferunt, in arte critica praesertim exercitatissimi, ipsemetque cl. Auctor condignis utique laudibus celebrentur: neque enim prudentis est quidquam de iis statuere, quorum cognitio per synopsim tantummodo habetur, ac si opus haberemus fortasse nos ipsimet eadem jure repeteremus, quae ipsis praestantes viri tribuere visi sunt, cum lateat neminem, quemque qui in publicum bonum tendit, gloriam sibi promereri posse, licet propositum sibi finem alter recto, alter obliquo itinere consequatur. Verum ne tempus inutiliter terere videamur, quid nos Empiricorum nomine intelligamus referre praestat. Empirici itaque quos nos rejicimus, ii sunt, qui de Anatome parum, aut nihil solliciti sunt; qui nihil rationem ad medicinam pertinere dicunt; qui, juxta Galenum, *nullius rei naturam a ratione inveniri posse contendunt qui his tantum credunt, quae vel sensui patent, vel memoriae per sensum mandata sunt qui idiotarum modo propositum speculantes rem quidem admirantur, caeterum causam ipsius ignorant; qui neutiquam requirunt discere, sed detrectant medicinam ratione*

invenire, ac sola facta probantes experientiam saepius visorum satis esse Medico affirmant. Qui haec firmiter tenent, qui rationis usum negligunt, detrectant, qui experientiae tantummodo indulgent, quodnam aegrotantibus auxilium in complicatis atque diuturnis affectionibus praestare poterunt? In obscurioribus certe tenebris hujusmodi homines versabuntur, dum ipsis eos mederi aegros contigerit, in quibus necesse est non modo mali naturam ac indolem, ejusdemque peculiarem sedem perspectam habere, sed morbi vim, aegrotantium vires, remediorum proprietates, consuetudinis rationem, anni temperiem, pluraque alia; atque ex hisce omnibus insimul collatis, recteque perpensis, ea inde eruere quae in aegrotantium utilitatem cedere possint ac debeant. Quid aegrotantibus hisce emolumenti esse poterunt horum hominum meditationes, in quibus diu noctuque expertes clinici, juxta Boërhavii praeceptum, versari debent, ut morborum vires infringant, infirmos adjuvent, iisdemque salutem restituant? Nonne isti maximo anatomes physicae, ac ratiocinationis subsidio destituti coecorum instar baculum circumferent quos feriant ignari?

Si vero Empiricos illos intelligunt, qui licet scientias artesque probe teneant, eas tantum in medicinam conferunt, quantum satis sit ut morborum causam, rationem, ipsamque naturam evolvere ac explicare quodammodo possint, de accuratissimis observationibus, deque ipsamet experientia magis solliciti, quam ut eorundem in philosophicis, mathematicis, hydraulicis, atque anatomicis rebus scientia per elegantes atque eruditas morborum explicationes omnium oculis elucescat; hosce & nos facile

accuratos Clinicos, aut si lubet Empiricos, ne de nomine quaestio sit, caeteris anteponendos esse jure ac merito existimamus.

(n) De lactiferis mammarum ductibus ita scriptum reliquit immortalis Vir Hallerus (*Elem. Physiol.* lib. XXVIII, Sect. I, §. v): *Ab anno 1748 4 Sept. reperi manifesto eos ductus non ex sola glandula mammali, sed omnina ex circumjecto basi latissima mammariae glandulae ex adipe radiculis suis oriri, ut in pinguedinem eos ductus possis persequi, inque ramos offendas, neque resecta utcumque sollicite, glandula vitare queas, quin impulsus in eos ductus argentum vivum per radices ex adipe natus effluat. Dum enim ab adipe ea glandula separatur, exeuntes in pinguedinem ductus amputantur. Saepe haec vidi, & ductus lactiferos vel lacte, vel flava materie sponte plenos persecutus sum, vel lacte, hydrargiro, etiam cera replevi, facillime enim impulsus humorem recipiunt.* In hisce Halleri summi Viri verbis hactenus fere omnes Anatomici atque Physiologi acquievere, et cum ipso lactiferos ductus ab adipe profectos, adipemque in lac deferentes proposuere. Hanc Halleri observationem primus omnium clar. Vir, & de mammarum structura optime meritus Cubolus, meusque in Patavina Universitate decessor pluribus observationibus infirmavit, cum hosce adiposos ductus ad mammae pinguedinem pertinentes omnino nullos clare animadverterit (*Explic. Tab. Santorin.* p. 94). Cuboli sententiam nos quoque (loc. cit. p. 113) post plura experimenta confirmavimus, atque cum nobis nihil unquam aliud observandum contigerit, quam ipsi Cubolo, tunc ad suspicandum adducti sumus proposita ab Hallero vascula nihil aliud esse nisi radices vasorum lactiferorum, quae

aliquando tum in mammarum basi, tum in superficie occurrunt, quae licet membranam adiposam contingant, tamen non ex hac ipsa, sed ex ipsis glandulae acinis proficiscuntur. Hanc sententiam etiam post evulgata Santorini Commentaria constanter secuti sumus, cum posterioribus observationibus nihil colligerem, cur propositum immutarem. Die tamen octavo Januarii anno 1777 dum mercurium per papillae oscula vasorum lactiferorum injicerem, ut num adesset eorundem communicatio inter diversarum provinciarum lactifera vasa, quemadmodum habet Meckelius, recognoscerem, simulque ea vasa argento vivo repleta auditoribus meis ostenderem, id contigit, quod nunquam antea, nempe ut manifeste cognoscerem, unde ortum duxerat Halleri sententia. Hic partim vera docuit, partim observationis defectu minus fortasse vera hominum memoriae commendavit. Mammae itaque, quas injeci, puerperae erant, cujus aetas vix vigesimum superabat annum. Hinc mercurio per ductum papillae excretorium injecto, provinciaque repleta sollicitè sic acinos dimovi, ut vasorum lactiferorum structuram, & incessum demonstrarem, quod dum peragerem, ductum lactiferum fere recta incedentem observavi, cujus ut finis erat in trunco majori, sic ejusdem incessus versus glandulae peripheriam protendebatur. Hunc persecutus, extra glandulam, & per adipem glandulae peripheriam circumeuntem recta eum pergere animadverti, qui post brevem incessum, e qua parte emergeret, nobis luculentissime in conspectum venit. Intervallo itaque digiti pollicis a mammaria glandula, inter pinguedinis glebas haerens occurrebat minor alia glandula, quoad structuram majori

propemodum similis, avellanae nucis magnitudine, figura fere semielliptica, quae cum tota mercurio repleta esset, gratum sui spectaculum offerebat. Erant enim hujusce glandulae acini pulcherrimo ordine ita dispositi, ut se invicem contingentes semicirculi instar glandulae latera tenerent. Ex singulis autem acinibus, sive vesiculis singulae proficiscuntur radicae, sive ductus, qui centrum versus contentes in ductum jam descriptum e glandulae centro emergentem sese immittebant.

Dum hanc minorem glandulam, ductumque non sine admiratione observarem, meisque auditoribus ostenderem, inter quos nonnulli aderant Medicinae, ac Chirurgiae Professores praestantissimi, plane perspexi, aliisque animadvertendum exhibui, qua ratione Hallerus scripserit, *dum ab adipe mammaria glandula separatur, exeuntes in pinguedinem ductus amputari*; quia revera ex hac ipsa observatione aperte cognovimus posse aliquando contingere, imo etiam reapse contingere, ut lactiferi ductus per pinguedinem excurrant, iique facile amputentur, dum ab adipe mammaria glandula separatur, licet tamen haud ex ipso adipe proficiscantur. Fortasse ipsemet Hallerus die quarta Sept. ann. 1748 in eandem observationem incidit, in quam & nos octavo Januarii ann. 1777. Hinc, ni ego plurimum fallor, cum ipsemet e mammariae glandulae peripheria, aut prope glandulam pinguedinem abscidisset, vidit utique ductus lactiferos in pinguedinem exeuntes, glandulas autem minores videre non potuit, quia hae una cum pinguedine amputatae fuere. Neque mirum observationem hanc summo caeteroquin Viro imponere potuisse: nam cum vidisset argentum vivum per ra-

dices in adipem excurrentes effluere, ignoratis penitus ab ipso minoribus aliis intra pinguedinem quandoque haerentibus glandulis, proclive fuit ipsi eas radices ex adipe oriri continuo pronunciare. Ita autem haec glandula intra pinguedinis glebas constituta erat, atque adeo ejusdem color ipsis respondebat, ut absque injectione eam dignoscere ferme impossibile videretur. Neque velim quisquam censeat observationem nostram ab Halleriana diversam esse, eo quia plures ipse, nos autem unam radicem conspexerimus, cum ex Anatomicis lateat neminem, quam saepe in hujusmodi rebus diversimode se habeat natura. Haec autem observatio adeo rara est, ut licet in lactiferis vasis pluries per injectionem inquisierim, nunquam mihi idem observare datum fuerit. Vidimus utique non raro mercurium, ut per ipsam mammariam glandulam, ita & per pinguedinem effusum, eumque in ipsis pinguedinis cellulis, & inter ipsas haerentem, sed nulla ratione dispositum, ac cum ipsa pinguedine commixtum: quod tunc contingere proclive admodum est, quando e nimia injectionis vi lactifera vasa, quae ex tenui, simplici, ac laxissima membrana constant, scinduntur. Caeterum quamquam per vasa lactifera, postquam penitus e glandula summa cum diligentia adipem deduxerim, quemadmodum alias (loc. cit. p. 112) saepe mercurium injecerim, nunquam eum e glandula per descriptos ductus effluere intuitus sum. Ne vero cuipiam fortasse de nostra observatione dubium occurrat, hanc minorem glandulam intra pinguedinem constitutam, ductumque, quemadmodum juxta naturam se habebant, & nos publice ostendimus, Tab. V delineandum curavimus.

(o) Inter praecipua remedia illa, quae aegris pertinaci, ac gravi morbo detentis libere propinari possunt, quaeque nisi adjuvent, certe laedere nequeunt, Uva Ursi recensenda est. De hac ipsa cum scriberem an. 1764, me illis, quas tunc evulgavi, alias observationes esse additurum spopondi (*De Uva Ursina* pag. 170). Verum cum hactenus eas edendi occasio defuerit, jam hocce opusculo fidem solvam.

D. Joseph Bazzani Pharmacopola, honestissimis parentibus ortus, temperamenti sanguineo-melancholici aetate annorum circiter 60 post plures febrium intermittentium accessiones, dum extremas urinae guttulas mingeret, glandis molesta irritatione laborare coepit, qua cum magis magisque premeretur, Medici consilium expetivit. E febre liber penitus evaserat, viribus bene habebat, ambulabat, equitabat, vehebaturque rheda absque ullo incommodo, nullus erat ipsi lumborum dolor, nullumque inter sedendum ad perineum pondus, plena mingebat urethra, absque ulla molesta sensatione, si extremae excipiantur urinae guttulae, quibus moleste glans afficiebatur. Medicus cum omnia diligenter perpenderit de calculo intra vesicam haerente metuens, ab aegro petiit, ut cathetere veritatem sibi explorare permetteret: annuit. Manum operi admovit Vir peritissimus, qui periculo facto calculum in vesica inesse apertissimeprehendit, cauteque innuit aegro remedium expetenti prospere evasurum facile, si calculus e vesica ferro educeretur. Anceps diu fuit quid faceret, ac inter salutis spem, & remedii timorem, meum consilium exposcit. Ex relatis calculum in causa mali esse plane percepi, ac cum nullum antea lithonthrypticum remedium adhibitum

fuiſſet, neque ulla victus ratio inſtituta, qua morbus tolleretur, nullumque urgeret grave ſymptoma, optimum factu cenſui, antequam expoſita operatio adhiberetur, quaedam praemittere, quibus ſi inde aeger ſe melius haberet, propoſita curatio, quae interdum haud periculo vacat, interciperetur, ſi minus inſtitueretur. Aegro, parentibusque conſilium arrisit. Hinc una cum moderata victus ratione Uvam Urſinam praecripi. Libenter paruit aeger, eamque adeo feliciter ſumpsit, ut per plures inde annos tanquam ſi nullus in veſica calculus adeſſet, omni glandis irritatione ablegata, ſuaque contentus valetudine vitam duxerit. Hic tandem e pectoris morbo aetatis an. 66 extra urbem e vivis deceſſit, doluique cum nulla ejusdem cadaveris ſectio inſtituta eſſet, num vi lithonthryptica Uvae Urſinae calculus penitus ſolutus, an muco obductus eſſet, ut non raro contingit in iis, qui Uvam Urſi adhibent, explorari minime potuiſſe.

D. Joannes Sirî morigerus ac ſolers hujusce Univerſitatis alumnus, nunc Juris utriusque Doctor, optima conſtitutione praeditus, aetate annorum quindecim, calculis acerrime vexabatur, quorum nonnulli adeo mole procreverant, ut parvae nucis avelanae magnitudini reſponderent. Inter ſaeviſſimos cruciatus, nonnullos ex minoribus inter mingendum dejiciebat; alii vero magnitudine praepediti ad extremum urethrae adeo detinebantur, ut non raro ipſemet eos aut digitis, aut forcipe, aut alio quopiam ſubſidio educere cogeretur. Hoc in ſtatu me ſuadente Uvae Urſinae virtuti ſe commendavit. Foliorum hujusce arbusti pulverem quotidie mane ac vespere ad ſemidrachmam ſumpsit per aliquot men-

ses summo cum levamine : quo in remedii usu cum institisset , intra biennium ab hoc saevissimo morbo liber penitus evasit . Tanto remedio gratus nunc etiam aetate annorum quatuor & viginti , absque peculiari necessitate interpolatis vicibus utitur .

Praeclara mulier temperamenti sanguineo-biliosi aetate annorum 30 postquam plures infantes enixa est , in virulentam inculpatim incidit gonorrhaeam . Hac optimo remediorum usu fugata , renum doloribus vexari , arenamque cum urina mingere coepit . Plura per aliquot menses adhibuit remedia , quibus cum nihil proficeret , imo in deterius sensim abiret , calculisque inde etiam afficeretur , quorum nonnullos summis cum doloribus excreverat , petiit a me , ut ipsi aperirem , quid ego de ejusdem morbo censerem , quidve ipsi consentaneum judicarem , ut diu exoptatam salutem recuperaret . Exploratis omnibus Uvae Ursi usum ipsi commendavi , quam fere per annum quotidie ad drachmam adhibuit . Hoc uno remedio adeo convaluit , ut postea bis utero feliciter gesserit , & nunc etiam absque ullo nephritico dolore , optima valetudine fruatur .

His plures alias observationes addere possem , ut Uvae Ursi in uropojeticis morbis praestantiam magis magisque confirmarem . Verum haec sufficiunt , ut & datam fidem solvam , & intelligant omnes caeteris remediis omnibus , quae in calculorum affectionibus adhibentur , quaeque a Clinicis peculiari-
bus laudibus extolluntur , Uvam Ursi facile palmam praeripere .

TABULA I.

FIG. I.

Ossa maxillaria ex interiori parte exhibita ostendit, in quibus cum praecoces, tum serotini dentes occurrunt, quorum descriptio est Not. (b)

a a a a b b c c d d **D**entes praecoces, seu decidui.

a a a a Incisores.

b b Canini.

c c Maxillares primi.

d d Maxillares secundi.

e e f f Maxillares immutabiles non decidui: *e e* tertii: *f f* maxillares postremi, qui ad posteriora et superiora penitus constituti vix e maxillaribus ossibus erumpunt.

g g g g h h i i k k Dentes serotini imperfecti suis in effractis cavernulis inclusi ut sua in sede haerentes appareant.

g g g g Incisores.

h h Canini, qui nonnihil supra palatum osseum inter deciduos incisores, et caninos caeteris profundius nidulantur, ideoque palati pars ablata fuit, ut conspicerentur.

i i Maxillares primi.

k k Maxillares secundi.

FIG. II.

Maxillam exhibet, in qua pariter utriusque ordinis dentes conspiciuntur.

a a a a b b c c d d **P**raecoces, sive decidui.

a a a a Incisores.

b b Canini.

c c Maxillares primi.

d d Maxillares secundi.

e e f Maxillares immutabiles non decidui: *e e* Maxillares tertii, quorum dexter praesepiolo effracto radices exhibet imperfectas: *f* postremus adhuc sua in cavernula haerens.

g g g g h h i k Dentes novi imperfecti suis in cavernulis, quemadmodum in Fig. I constituti.

g g g g Incisores. *h h* Canini. *i* Maxillaris primus, *k* secundus.

l Naturale foramen.

TABULA II ET III.

*Femoribus subvectis disjectisque Hermaphroditi
naturalia repraesentant, de quibus Not. (d)*

- A A. **F**emora superius inclinata ac disjecta, ut
 luculentius omnia generationi inservientia in
 conspectum veniant.
- B Praeputium. Hoc Tab. III ita digitis ap-
 prehensum ac sublatum est, ut penis ea in
 sede detineatur, sicque
- a a Fraenulum duplex
- b Sulcum comprehendens appareat, quod deor-
 sum vergens, seque explicans
- c c Labia pudendi constituit, in quorum ex-
 tremirate
- d Caruncula lenticularis observatur.
- C. Vaginae antrum.
- D Anus.

T A B U L A IV.

Caput adulti hominis ostendit, in quo tria peculiaris ossa occurrunt, quae describuntur Not. (k)

- A **O**s occipitis.
 B Os peculiare medium, quod in caeteris craniis non observatur.
 C C Duo lateralia ossa.

T A B U L A V.

Mammam exhibet, in qua peculiaris glandula intra pinguedinem constituta observatur, de qua Not. (n)

- A A **M**ammaria glandula
 B B Communibus integumentis denudata, ut
 a a a a a Ductus lactiferi mercurio repleti in conspectum veniant.
 C C Pinguedo circa glandulae peripheriam secundum naturam occurrens, in qua
 b Glandula minor conglomerata, ejusdemque naturae ac major mammaria glandula, in qua
 * * * * Acini, e quibus ductus proficiscuntur, qui in
 c Canalem lactiferum abeunt, qui per pinguedinem excurrans intra mammariam glandulam se se conjicit, lac in majorem lactiferum ductum relaturum.
-

Fig. I.







Fig. II.










Tab. III.










Tab. V.



Patroni sculp.

